De derivatione, significatione, ellipsi, pleonasmo, anastrophe et permutatione praepositionum apud Plautum et Terentium agitur.

Dissertationis cuiusdam, quae annecti solet annalibus progymnasii nostri, latino sermone conscribendae provinciam quum mihi nunc obtigisse viderem, diu animo fluctuabar, quamnam mihi commentandi materiam sumerem. Itaque oculis perlustratis adversariis meis, cogitatio animum subiit, operae pretium esse, de doctrina derivationis, significationis, ellipsis, pleonasmi, anastrophes et commutatarum inter se praepositionum apud Plautum et Terentium altius inquirere et quae praeterea notatu digna viderentur, e quibus magnam me capturum utilitatem sperabam. Neque etiam operae in iis locatae me poenituit. Nam horum poetarum sermo ad res grammaticas investigandas aptissimus esse videtur. At vero quum tota haec quaestio latius pateat, quam quae hic ad exitum perduci possit, de nonnullis tantum praepositionibus exposuisse contenti simus, ceteras in posterum tempus reservaturi, aut si hoc minus placeat, aliud quoddam argumentum delecturi tractandum. —

§. 1.

Praepositio apud [1]) inter primitivas numeratur atque vulgo ex Graeca praepositione ἀπό et particula δέ vel τέ, litera e extrusa, exstitisse creditur.

1) Antiquiore tempore apor vel apur scribi solebat, ut ar pro ad. Festus p. 22. cf p. 337. und Freund's Wörterbuch der lateinischen Sprache.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cui etymo etiam Forcellini album calculum adiicit. Doederlein [2]) autem, qui aeri magnoque est iudicio, a stirpe apio, seu apo, unde apisci, adipisci originem habeat, deducendam censet hanc particulam. Ego ad huius sententiam accedo. Neque enim de ea re suspicionibus iudicavit, sed in praefatione ad primam collectorum vocabulorum, quae idem significant, partem pag X et seq. argumenta eaque gravissima proposuit, cur vocabulorum latinorum originem a Graecis vocabulis repetere dubitarit. Sed hoc posito et concesso, praepositionem apud de Graeco flexam esse, tamen ii, qui eam e Graeca ἀπό natam contendunt, iam ea de causa paulo audacius iudicant, quod significationes utriusque praepositionis sunt diversissimae. Multo verisimiliorem esse censeo illam exponendi rationem, qua, quod etymon etiam Schmalfeld Lat. Synonymik p. 366. nobis probat, particula apud a Graeca praepositione ποτί i. e. πρός ducitur. Nam huic est cum Latina, si ita dici licet, similitudo aeque externa, atque interna, illi tantum externa. De a prothetico praepositionis aput, residuo decurtatae praepositionis ad (adput) conferendus est Doederlein (lateinische Wortbildung p. 130). Billroth. Lat. Gr. p. 326 apud ex obsoleto ape cum praepositione ad ortum esse opinatur. Sed idem dicere possum, quod Hennicke, supp. ordd. gymn. Coslinensis praeceptor, in dissertatione sua, proximo anno scripta „de α intensivo" dixit, in ea disciplina, quae in originibus vocabulorum indagandis versetur, vera non semper verisimilia, similia veri non semper vera esse reperiri. — Neque tamen hoc inter doctos ulla est unquam in dubitatione versatum, hanc praepositionem olim aput scriptam esse, id quod cum antiqua demonstrant monumenta, in quibus sic legitur, tum aliorum vocabulorum analogia ostendit, sicut quodannis et quotannis usque ad Augusti tempora scriptum invenimus (Conf. Forcellini et Freund in lex: sub

2) Lat. Synonyme, tom III. p. 276. not. et p. 274. Wahrscheinlich verhält sich ape (bei Philoxenus) und aput zu aptus (vom obsoleten apere) wie pone und post zu positus und die Form apor bei Festus zu apud, wie ar zu ad, oder obscurus zu occultus. Auf ähnlichem Wege war schon Vossius. Ferner Doederleins lateinische Wortbildung: Onomatopoetik p. 11., wo es folgendermassen heisst: man muss keinem Abstractum in der Sprache Ursprünglichkeit zugestehn, sondern jedem Wörtlein einen lebendigen Stamm nachweisen und es aus einer Wurzel ableiten, welche einen sinnlichen, wo möglich sichtbaren Gegenstand oder Act bezeichnet. Dies gilt besonders für die Partikeln. Manche derselben haben noch Körper genug, um aus ihrer Physiognomie und Natur ihre Familie errathen zu lassen: penes, pendere, tenus, tendere, aput, aptus, trans, τρανές, τιτραίνω u. s. w. Cfr. etiam Freund in lex: Stamm AP, wovon apo, aptus, ἐπί, also das Anheften an etwas, die Nachbarschaft, die Nähe bezeichnend.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

v. apud et ad). — Significationem praepositionis quod attinet, animo tenendum est, viciniae cuiusdam ac propinquitatis notionem inesse, adiuncta tamen significatione quietis. Ac primo quidem de personis cum dicitur, varia inveniuntur loquendi genera. Neque enim semper solum aliquid prope aliquem esse significatur, verum etiam ad ea particula transfertur, quae ad animum, sensum, iudicium hominum spectant. Capt. 1. 2. 90. subducam ratiunculam, quantillum argenti mihi apud trapezitam siet. 2. 2. 11. ut vos hic, itidem illic apud vos meus servatur filius. 2. 2. 62. tam ille apud nos servit, quam ego nunc hic apud te servio. 2. 2. 72. ne patri decere videatur magis, me saturum servire apud te sumptu et vestitu tuo . . . 2. 2. 80. filius meus illic apud vos servit captus Alide. 3. 5. 56. essetne apud te is servus adceptissimus? 3. 4. 93. hoc, si secus reperies, nullam causam dico, quin mihi et parentum et libertatis apud te deliquio siet (Vide ad h. l. Forcellini in Lex: sub voce deliquium et commentarium in Plauti comoedias, quem conscripsit Schmieder). Mil. gl. 2. 1. 17. nam ego haud apud hunc servitutem servio. Aulul. 1. 1. 12. utinam me divi adaxint ad suspendium potius quidem, quam hoc pacto apud te serviam. Poenul. 4. 2. 7. vel in lautumiis, vel in pistrino mavelim agere aetatem — quam apud lenonem hunc servitutem colere. 4. 2. 87. ita Di faxint, ne apud lenonem hunc serviam. Pers. 4. 4. 65. non diu apud hunc servies. Ceterum apud aliquem servire ad sensum idem fere esse vides, quod alicui servire, ut Plautus dixit Persa 1. 1. 7. (qui hero suo servire vult bene servus servitutem); sed ad ipsam notionem aliquid interest, utrum dicas. — Heaut. 1. 1. 10. apud me sis volo. Mostell. 1. 3. 140. etiam nunc decem minae apud te sunt. Bacch. Subposita 69. aurum posuerat apud Anhidemidem. Curcul. 4. 3. 4. triginta minas apud te deposivi. Bacch. 2. 3. 72. nos apud Theotimum omne aurum deposuimus. Curcul. 2. 3. 66. argentum apud trapezitam situm est. Cistell. 2. 1. 27. hic apud nos confregisti tesseram i. e. fidem tuam non servasti: nam amicorum alter alteri dimidiam tesserae hospitalis partem dare solebat, quam qui confregit, alteri hospitium dicebatur renuntiasse. ibidem 2. 1. 1. credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum. Epid. 2. 2. 7. nam ego illum audivi in amorem haerere apud nescio quam fidicinam. i. e. apud quandam fidicinam. 3. 4. 14. nempe quem in adolescentia memorant apud reges . . . . . divitias magnas indeptum? Bacch. 3. 3. 28. apud magistrum assideres. Aulul. 1. 2. 5. nam hic apud nos nihil est aliud quaesti furibus. 2. 2. 66. hic apud me hortum confodere iussi. 2. 5. 16. hic apud nos magna turba ac magna familia est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

2. 6. 8. ligna hic apud nos nulla sunt. Capt. 3. 4. 65. at pol te atra pix agitet apud carnificem. Eun. 3. 3. 28. apud nos mane. Simili modo dicitur Phorm. 5. 7. 33. et Asin. 1. 1. 113. ibidem 1. 1. 103. apud Archibulum ego ero argentarium. 1. 3. 4. fixus hic apud nos est animus tuus clavo Cupidinis 4. 2. 3. apud amicam munus adolescentuli fungare? 5. 2. 17. Mil. gl. 3. 1. 49. incommoditate abstinere me apud convivas commode commemini. Merc. 3. 4. 17. ubi ego sum? hiccine an apud mortuos? neque apud mortuos, neque hic es. Pseud. 1. 2. 8. ut mavelis lupos apud oves linquere. 1. 5. 78. quia nolebam ex me morem praegigni malum, herum ut servos suum criminaret apud herum. Poenul. 1. 2. 67. adsum apud te, eccum. 3. 3. 50. nam hic latro in Sparta fuit, ut quidem ipse nobis dixit, apud regem Attalum. Heaut. 3. 1. 79. ibit ad illud illico, quo maxume apud te se valere sentiet. Poenul. 3. 5. 10. valeant apud te quas volo, atque haud te volo. Mil. gl. 3. 1. 82. apud me est comitas. 4. 6. 12. ut tu inclutus apud mulieres! Poenul. 1. 2. 63. quid est apud vos pulcrius? Pers. 4. 3. 20. libertas est apud te. Rud. 3. 4. 19. ita est lex apud nos. Stich. 5. 4. 28. non mora erit apud me i. e. per me licet. Mil. 3. 1. 43. ut apud te exemplum experiundi habeas: possit etiam in locum particulae apud praepositio in substitui. Rud. 1. 3. 13. quid habebunt sibi igitur impii, si ad hunc modum est innoxiis honor apud vos? Pers. 4. 7. 9. credidi gratum fore beneficium meum apud te. Amph. 2. 1. 5. eccere, iam tuatim facis, ut tuis nulla apud te sit fides. Heaut. 3. 3. 10. at mihi fides apud hunc est. cfr. Phorm. 5. 3. 27. Pseud. 1. 5. 52. Hec. 3. 5. 24. 5. 1. 23. Eun. 1. 2. 10. 1. 2. 72. Mil. 4. 4. 60. Loco praepositionis apud in Pseud. 1. 3. 80. (nam istoc, quod nunc lamentare, non esse argentum tibi, apud novercam querere) etiam praepositio cum vel solus dativus poni possit. Quibus exemplis multa etiam alia adscribi possunt, sed hoc labore supersedeo. Exponendum potius de alio usu praepositionis, quo attributo passivo adiungitur idemque fere significat, quod praepositio ab. Quod quomodo fieri possit, facile est ad intelligendum: nam quod apud aliquem fieri dicitur, id etiam sic animo sibi effingi potest, ac si ab ipso fiat. (Vid. Forcellini in lex.) Idem ostendit, aliquid interesse, utrum hac, an illa praepositione utare. Referenda huc sunt haec exempla: Stich. 4. 2. 48. apud me satis spectata est iam tua felicitas. Trin. 3. 3. 65. dici hoc potest apud portitorem epistolas resignatas inspectasque esse. 3. 3. 81. lepida est illa causa dicere apud portitores esse inspectas. Trucul. 2. 1. 22. is amatur apud nos. Menech. 4. 3. 25. apud amicam mihi credetur. Cas. 2. 8. 41. apud hunc

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sodalem mihi locus est paratus. Poenul. 5. 2. 93. apud me hospitium tibi praebebitur. Hec. 4. 2. 8. apud me praemium esse positum pietatis. — Coniuncta etiam invenitur praepositio apud cum nomine, vel pronomine possessoris, ut formula apud aliquem saepe eius domum significet. Observandum tamen vocabulum domi plerisque locis additum esse, quod his exemplis probatur: Heaut. 1. 1. 120. iam dudum domi praesto apud me esse aiunt. 3. 1. 21. hic apud me domi est. Eun. 4. 6. 9. domi apud me est. 5. 2. 1. apud Antiphonem domi erant. Men. prol. 28. illum reliquit alterum apud matrem domi. 4. 2. 108. quae me non excludet ab se, sed apud se occludet domi. Mil. gl. 2. 6. 110. nam Palaestrio domi nunc apud me. Sed etiam omissa voce domi apud aliquem nonnunquam ita interpretari licet, vel similem admittit explicationis rationem, ut Heaut. 1. 1. 110. Quo modo igitur hanc praepositionem Nostris usurpatam esse intelleximus, eodem etiam praepositione ab utuntur, ut Andr. 1. 3. 21. Mysis ab ea egreditur, pro: e domo eius. Similis est etiam praepositionis ad usus, ut Pseud. 3. 2. 78. te ad me adducam domum. Ex illo autem, de quo modo exposuimus, praepositionis apud usu formula dicendi apud se esse [3]) originem traxit (apud Horatium Sat. 2. 3. 273. penes se esse) pro vulgari dictione mentis compotem esse (Adelph. 3. 2. 12.). Attamen, ut apud nos, sermonis tantum communis est propria et inprimis Terentii: Andr. 2. 4. 5. proin tu fac apud te ut sies, i. e. ut praeparatus, praesenti animo sis. 5. 4. 34. vix sum apud me. Hec. 4. 4. 85. num tibi videtur esse apud sese? et quae locutio contraria est alterius Heaut. 5. 1. 47. prae iracundia non sum apud me. Phorm. 1. 4. 27. non sum apud me. Apud Plautum illa formula bis invenitur Amph. Supp. 158. et Mil. gl. 4. 8. 36. Similiter Graeci dicunt ἐν ἑαυτῷ εἶναι, γίγνεσθαι, vel πρὸς αὐτῷ γίγνεσθαι [4]). Similis usus praepositioni ad inhaeret Andr. 3. 5. 16. sed sine paululum ad me redeam i. e. ut animum recipiam ex perturbatione, cui formulae contraria est altera exire a se sive extra se esse. Eandem etiam atque coram significationem habere videtur apud, ubi de personis usurpatur, coram quibus aliquid fieri dicitur. Quod praecipue fit, cum de aliqua re agitur, ipsique personae haec res iudicanda relinquitur. Quae significatio his apud

3) Gesner in lex.: apud se esse non tantum significat esse domi suae, sed etiam esse mentis et animi compotem, cum quisque domi suae videatur et optime nosse res omnes, et commodissime illis uti. —

4) Viger p. 230 et Hermanni, viri doctissimi, adnotationem p. 749. 171. c. et 858. 389.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Plautum testimoniis probatur: Capt. 2. 3. 52. cum apud hunc confessus es et genus et divitias meas. Menaech. 4. 2. 23. apud aediles dixit causam. Most. 5. 1. 51. tanto apud iudicem hunc argenti condemnabo facilius. Rud. prol. 18. qui res falsas impetrant apud iudicem. Cistell. 1. 1. 100. at ille conceptis iuravit verbis apud matrem meam. Curc. 5. 3. 6. pessume metui, ne mihi hodie apud praetorem solveret. Pseud. 2. 2. 50. res agitur apud iudicem. Poen. 1. 1. 24. cur ego apud te mentiar? Amph. 2. 1. 44. miserrima istaec miseria est servo bono, apud herum qui vera loquitur, si id vi verum vincitur. Pers. 4. 9. 9. illi apud Praetorem dicam. Pseud. 1. 5. 46. decet innocentem servum superbum esse apud herum. Trucul. 2. 1. 3. huic homini amanti mea hera apud nos dixit neniam de bonis et ibidem 5. apud hunc mea hera consilia summa eloquitur libere. Neque etiam Terentius ab hoc praepositionis usu abhorruit: Hec. 2. 2. 27. apud vos perdurare i. e. si vos adestis et Heaut. 3. 3. 14. nemo est meorum amicorum hodie, apud quem expromere omnia mea occulta audeam, apud alium prohibet dignitas, apud alium ipsius facti piget. — Ex omnibus his exemplis intelligi potest, praepositionem apud semper vim quietis habere. Quam regulam semel tantum neglectam esse reperimus in Plaut. Mil. gl. 2. 5. 69. abeo apud hunc vicinum. Qui loquendi modus inter eius idiomata refertur atque ex familiari sermone potest excusari, ut etiam in nostro sermone humili interdum dici audimus. Neque tamen in hoc exemplo apud vicem praepositionis ad explere contenderim, neque etiam, ut multi voluerunt, locum correxerim, sed videndum esse censeo, qui factum sit, ut Plautus ita verba extulerit. Ratio huius enuntiati sine ulla dubitatione haec est, ut per cogitandi celeritatem hae duae loquutiones „eo ad aliquem et maneo apud aliquem" in unam sint confusae. Quod genus dicendi inprimis frequens est non solum apud Homerum, sed etiam apud scriptores solutae orationis, ut Xenophon dixit in Anab. 2. 5. 27. *ἔφη χρῆναι ἰέναι παρὰ Τισσαφέρνει, οὓς ἐκέλευσε* (dixit ad Tissaphernem iis eundum esse, quos ipse iussisset). Huc usque de usu praepositionis loquuti sumus, si ad personas refertur. Altera est particulae ratio, quam localem vocant: Andr. 1. 3. 17. navem is fregit apud Andrum insulam. Curcul. 4. 1. 24. apud Leucadiam Oppiam. Andr. 5. 4. 20. Atticus quidam — apud Andrum eiectus est. Adelph. 4. 2. 44. Phorm. 1. 4. 21. Asin. 1. 1. 21. Mostell. 4. 2. 26. Amph. 1. 1. 194. Trucul. 2. 2. 26. Poenul. 1. 2. 52. 53. 5. 3. 13. Rud. 3. 6. 27. Trin. 4. 2. 25. Bacch. 1. 1. 54. Epid. 1. 1. 12. 2. 2. 37. Stich. 1. 2. 96. Curcul. 4. 1. 10. 13. Interdum cum urbium nominibus con-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

iungitur, qui usus apud scriptores posterioris aetatis increbuit. Terentius ab hoc dicendi genere prorsus abhorret; Plautus ita bis dixit Curcul. 3. 25. catapulta hoc ictum est mihi apud Sicyonem: quod nihil aliud significare potest, nisi: in oppugnanda Sicyone et Epid. 1. 1. 50. id adeo argentum ab danista apud Thebas sumsit foenore. Ursinus Tom. 1. p. 1054. et Gesner in lex: sub „apud" apud Thebas pro Thebis dictum esse contendunt. At egregie falluntur. Cum aliquid non in loco ipso, sed in eius vicinia fieri significatur, praepositiones ad vel apud semper adduntur. Vid. Ruddim. instit. gr. Lat. II. p. 282. et Stallbaum. 33. Saepius particula cum praepositione in congruere videtur, ut Andr. 1. 5. 19. praeteriens modo mihi apud forum, uxor tibi ducenda 'st, — hodie, inquit, para. Epid. 3. 2. 23. is apud forum manet me. 3. 3. 41. res magna amici apud forum agitur. Cistell. 2. 1. 13. ita pater apud villam detinuit me hos dies sex ruri continuos. Andr. 2. 1. 2. apud forum modo e Davo audivi. 4. 4. 6. quid turbae est apud forum et ceteris locis, quos exscribere nolo Adelph. 1. 2. 74. 3. 5. 2. 3. 3. 50. 4. 1. 1. Phorm. 5. 6. 23. Asin. 2. 2. 63. 3. 3. 16. nisi forte hic Plutonem intelligas. Aulul. 2. 4. 2. Pseud. 3. 2. 106. Poenul. 1. 2. 136. Persa 1. 1. 22. Est omnino magna horum exemplorum seges, in quibus particula et propriam suam et alteram significationem tenere posse videtur. Imitati autem sunt Latini poetae in hoc dicendi modo Graecos, qui interdum πρός et παρά pro ἐν usurpant, ut Soph. Trach. 371. πρὸς μέσῃ ἀγορᾷ, pro quo v. 423. ἐν exstat et v. 524. τηλαυγεῖ παρ' ὄχθῳ. Raro praepositio a loco ad tempus refertur, cuius quidem usus unum tantum, quod sciam, apud Terentium testimonium exstat Eun. 2. 2. 15. olim isti fuit generi quondam quaestus apud saeculum prius. Intelliguntur nimirum κατὰ μετονυμίαν homines, qui illo tempore vivebant. — Ellipsis praepositionis tribus apud Plautum locis reperitur: Menaech. 3. 2. 11. 5. 9. 82. et Bacch. 5. 2. 71. dum ibidem 1. 1. 48. particula posita est. Sed in Hecyra 3. 1. 6. nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis obiectus labos, omne quod est interea tempus, prius quam id rescitum 'st, lucro est: ellipsis est intolerabilis. Quonam tandem modo credi potest, „nos omnes" pro „apud nos omnes" positum esse? Vid. adnotationem in editione Terentii, quam Stallbaum curavit. Sunt etiam, qui „omnibus nobis" corrigant. At ne horum quidem iudicio sto. Mihi poeta constructione excidisse videtur, quum dicere deberet: nos omnes — lucro habemus sive ducimus. Quod ad ponendam praepositionem attinet, apud Nostros semper voci, quam regit, praeponitur: semel inter pronomen possessivum et substantivum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

locum habet Capt. 3. 5. 8. suum apud herum, ubi pronomen ad vim augendam primum locum obtinet et inter adiectivum et substantivum Trin. 4. 1. 9. nobiles apud homines; a qua licentia pedester sermo abhorret. Est enim in eo haec lex, ut tantum hae quatuor bisyllabae praepositiones „ante, contra, inter, propter" et quinque monosyllabae „ob, post, de, ex, in" inter adiectivum aut pronomen et substantivum ponantur. —

§. 2.

Praepositio penes Graeca ἐπί sive παρά cum dativo redditur. Primitiva notio est haec, ut aliquid aliquo loco esse significetur, exclusa possessionis notione. Huc referenda videntur haec exempla Adelph. 3. 3. 34. istaec iam penes vos psaltria 'st? Ly. Ellam intus. Trin. 3. 3. 5. namque hercle honeste fieri ferme non potest, ut eam perpetiar ire in matrimonium sine dote, quum eius rem penes me habeam domi. et 5. 2. 22. „meo adlegatu venit, quasi qui aurum mihi ferret abs te, quod darem tuae gnatae dotem, ut filius tuus, quando illi a me darem, esse adlatum id abs te crederet, neu qui rem ipsam posset intellegere et thesaurum tuum me esse penes atque eum a me lege populi patrium posceret." Quo sensu vulgo apud dicitur. Neque vero crediderim, praeter haec testimonia etiam alia, quibus hic usus praepositionis probetur, apud Plautum et Terentium inventum iri. Nam in iis, quae restant, exemplis, penes de potestate, dominio et possessione usurpatur. Quae quidem significatio a praepositione apud prorsus aliena est, quam solam fere proximitatis aut coniunctionis notionem habere paulo ante docuimus. Quod discrimen, quanquam a poetis non semper servatur, tamen in universum valet. Jam Ulpianus in Dig. de verborum et rerum significat. 50. 16. 63. „penes te, inquit, amplius est, quam apud te: nam apud te est, quod qualiter qualiter a te teneatur: penes te est, quod quodammodo a te possidetur et Festus Pompejus p. 19. apud et penes ait hoc differre, quod alterum personam cum loco significet, alterum personam et dominium ac potestatem, quod trahitur a penitus. De hoc etymo dubitandum [5]), de significatione concedendum. At vero

5) Gesner ling. lat. thes: „certe cognata esse videntur penes et penitus manifestum est, tum inter se, tum cum penu vel penore, omnibusque illis inesse notionem, ut intus aliquid esse intelligatur, aut in potestate. Illis vocabulis, quibus penes cognatum esse dicitur, Schmalfeld (Lat. Synonymik p. 367.) recte addit etiam penates, penetrare et penetrale, quae eandem et unam habeant radicem pen, intimum, nominatim domus aut templi significantem. Ita Festus penus, inquit, vocatur

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Terentius semel tantum praepositionem hoc sensu usurpavit in Hecyra 4. 1. 20. ego etiam illorum esse hanc culpam credidi, quae te est penes. Plautus sexies Amph. 2. 2. 21. omnia adsunt bona, quem penes est virtus. Capt. 2. 1. 37. quod sibi volunt, dum id impetrant, boni sunt, sed id ubi iam penes sese habent, ex bonis pessumi sunt. Poenul. 5. 4. 15. Jupiter — quem penes spes vitae sunt hominum omnium. Trin. 4. 1. 3. salsipotenti — Jovis fratri et Nerei Neptuni — laudes ago — et fluctibus salsis, quos penes mei potestas, bonis meis quid foret, et meae vitae. Trucul. 1. 1. 4. quam (intellige Venerem) penes amantum summa summarum redit i. e. potestas omnium amantum est, ut Schmieder interpretatur. 5. 9. manus vetat, prius quam penes sese habeat, quidquam credere. — Pleonasmus praepositionis aut ellipsis apud Nostros nusquam reperitur. Neque tamen praetermittendum est, particulam cum pronomine relativo coniunctam anastrophen, quam vocant, pati, ut ex his locis iam supra exscriptis intelligi potest. Amph. 2. 2. 21. Poenul. 5. 4. 15. Trin. 4. 1. 3. et Trucul. 1. 1. 4. Ab hac huius praepositionis anastrophe apud poetas frequentissima etiam sermo pedester non abhorret, sed exempla perrara esse videntur, quorum haec duo tantum mihi nota sunt: Quinctil. 9. 3. neminem posse alteri dare matrimonium, nisi quem penes sit matrimonium et Cic. ad Famil. lib. 9. epist. 16. de illo autem, quem penes est omnis potestas, nihil video, quod timeam. Verum apud Nostros penes etiam pronomini substantivo postponitur et simul una voce aut pluribus interpositis prorsus a casu, quem regit, separatur. Quod his duobus testimoniis Hecyra 4. 1. 20. et Trin. 5. 2. 22. iam supra exscriptis probari potest et praeterea exemplo in Aulul. 4. 4. 27. perscrutatus es tuo arbitratu, neque tui me quidquam invenisti penes. —

§. 3.

De particulae ante derivatione Vossius et Schneider inter se dissident, atque discordant; alter eam eandem esse cum Graeca ἄντα arbitratur, alter ablativum habet vocis ex usu vulgari remotae antis i. e. eminentia, ut ante

locus intimus in aede Vestae tegetibus septus, d. h. das Allerheiligste. In particula penes „es" terminationem adverbii esse, eandem atque „is", Schmalfeld opinatur, ut penes proprie idem significaret, quod intus. Ita etiam Freund in lex: penes: vielleicht vom Stamme PEN, wovon penitus, penetro, penates; Grundbedeutung der innere Zusammenhang, das Zugehörigsein eines Gegenstandes zu einem andern, das Besitzverhältniss. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

idem significet, quod in eminentia, sive in fronte. Doederlein lat. Synonyme Tom. VI. p. 21. in eadem, in qua Vossius, est sententia: comparat ante cum Graeco ἄντα vel ἀντί et Germano ent — gegen. Freund in lex. et ipse cognatum esse ait ante cum ἄντα, ἀντί, ἄντην, additque antiquam formam esse anti, quam etiam exstare videmus in nonnullis vocabulis, ut antidea pro antea (Liv. 22. 10. si antidea senatus populusque iusserit fieri: ubi ed. Drak. anteidea exhibet), antidhac pro antehac (Pseud. 1. 1. 14. nam tu me antidhac supremum habuisti comitem consiliis tuis. 2. 2. 26. nam equidem Athenas antidhac numquam adveni et aliis etiam locis), antideo pro anteeo (Trin. 2. 4. 145. sed lampas genus multo Syrorum iam antidit patientia). Schmalfeld Lat. Synonymik p. 350. ante ex ἀντί ortum esse aperte dicit. Ceterum illud non est praetereundum, quod Max. Victor. p. 1953. scribit, cum ante praepositio sit, accentum gravem in ultima syllaba ponendum, cum adverbii habeat significationem, eam esse acuendam. — Nunc de potestate huius praepositionis mihi est exponendum. Ac primum quidem ea testimonia ponamus, in quibus ante ad locum refertur Andr. 3. 1. 16. postquam ante ostium me audivit stare, adproperat. Amph. 1. 1. 136. sed quis hic est homo, quem ante aedeis video hoc noctis? Asin. 3. 3. 70. ante me ito inanis. In hoc exemplo diversam esse a prioribus praepositionis ponendae rationem, nemo est, quin intelligat. Hic enim motus, illic quies significatur. Quare quod praeceptum doctores nostri nobis tradiderunt, quo ante intransitive usurpetur, i. e. quietem alicuius rei significet, prae contra transitive, i. e. actionem et motum denotet, id non semper servatum videmus. Conferri possunt de hac re Forcellini et Freund in lex. Ab hac loci significatione, qui proprius est huius praepositionis usus, vis excellentiae est profecta. Sed quia praestantia comparatione continetur, fit, ut ante comparationi inservire dicatur. Neque tamen frequens est apud Plautum hic loquendi modus: nam duo tantum loci reperiuntur, qui tralatam huius particulae potestatem referunt. Trin. 4. 1. 5. atque ego, Neptune, tibi ante alios deos gratias ago atque habeo summas et Asin. 5. 2. 8. at nunc dehinc scito, illum ante omnes minimi mortalem preci: ubi ante omnes idem significat, quod v. 6. praeter alios maxime. Terentius hoc usu praepositionis prorsus abstinuit. — De tempore dictum deprehendi ante Hec. 5. 4. 23. nam numquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram. 4. 4. 19. neque fuisse praegnantem umquam ante hunc scivi diem. Cfr. etiam Epid. 3. 4. 60. 4. 2. 7. Amph. 2. 1. 55. nam ut dudum ante lucem a portu me praemisisti domum. Mil. gl. 4. 8. 64. ante hoc factum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hunc sum arbitratur semper servom pessumum. — Suppressa esse praepositio vulgo olim dicebatur et credebatur in noto illo loquendi genere, quo annus vitae hominis cuiusdam indicatur, ut in Heaut. 1. 1. 10. annos sexaginta natus, quod sic explicari solebat, tamquam si dictum esset pro: ante annos sexaginta in lucem editus. Ruddimann instit. grammat. lat. II. p. 294. observanda est, inquit, riteque supplenda, ad tempus pertinens haec loquendi formula Cic. de Orat. III. 20. annos natus unum et viginti; supple, ante. Eandem esse interpretandi rationem dicunt in formulis abhinc biennium, abhinc triennium (Bacch. 3. 2. 4. Andr. 1. 1. 43.). Vide Stallbaum ad Rudd. instit. II. p. 292. 11. Quemadmodum autem talia dicendi genera apud Comicos et eos, qui oratione soluta scripserunt, creberrime inveniuntur, ita etiam aliis similibus utuntur, in quibus difficultatis quid inesse videatur, quale illud est apud Plautum in Aul. pr. 4. hanc domum iam multos annos est, quum possideo et colo, ubi Bosius invitis libris legit „iam multus annus est.“ Schmieder locum ita explicat: multos annos est (iam duravit), quum inusitatius quidem dictum, at non tamen obscurum, pro: multi anni sunt, ex quo (tempore). Simile est exemplum in Pers. 1. 3. 57. siquidem hic leno nondum sex menses Megaribus huc est quum commigravit: ubi poeta, inquit Vossius p. 426., menses accusandi casu extulit, alioqui debuerat dicere, nondum sunt sex menses. Causa vero locutionis petenda ab ellipsi praepositionis ante. Nam integre est, nondum ante sex menses factum est, cum leno Megaribus huc commigravit. Sic in priori loco supplendum: iam ante multos annos est, cum possideo et colo hanc domum. At vehementer falluntur Ruddimann et Vossius. Nam accusativi natura veraque significatione perspecta, facile intelligitur, minime ad ellipsin confugiendum esse, sed accusativum absolute accedere ad temporis spatium indicandum. **Friebe.**

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf